narratio mirabilium quæ Deus in salutem sanctorum suorū et in hostium confu-
sionem passim operatur. Quod Jacobum filium non vis ab studio abducere, et ip-
si puero bene consulis, et nobis pergratum facis. Nonnihil eum afflixit febri-
cula tertiana hoc mense septembri. sed relevatus est Dei beneficio, quem habemus
unicum puerorū nostrorum et familiæ custodem. Martinus revocatus est ab Joha-
nne le Porcq propediem Antverpiam mittendus: [illegible] eius nisi Francofortum
De Oliverio hactenus nihil scripserunt. puer est non ille quidem peracuto ingenio, sed
tamen qui doceri possit. neque videtur ad mercatum tam tenera ipsius ætas idonea esse
qui prope iam unus est a Musarum castris deficientiū portus. Attamen quod
patrilli propinquis videbitur ego quoque et debeo probabo. Antonio res secundas
esse gaudeo neque sane esse aliæ possint tam modesto, tam morigero suis pare-
ntibus, tam studioso sinceræ religionis, eius precatiunculis commendari volo.
Mater piissima de Jacobo non sit solicita nihil ei deerit earū rerū quæ a bono
parente præstari possunt. hunc iam quartū diem febris eū reliquit, et augetur
nutrimentum puero et vires quotidie reparantur. De nostro hic conatu veré
dici potest quod est apud Prophetam Regium. Euntes ibant et flebant,
mittentes semina sua. Dominus benefaciat Sioni ex beneplacito voluntatis suæ
et ædificentur muri Jerusalem. Amen. 20. Septēbris. 1560.

Pax Christi.

Nr. 71)

D. Doct. Alberto bremę.

Epistola tua venerande Doctor meus meusque animus recreatus est, non medio-
criter. Deus consolator afflictorum aliquem magnū lætitiæ cumulū refundat
Bremensia T. II f 574
in sinum tuum. Amē. Nullus mihi dies (postquam istinc abij) vacuus exijt
ab earum miseriarum cogitatione quæ multis iam annis in istius Ecclesiæ vis-
ceribus hæsere. Quod nisi tibi de duro robore compactus animus esset, nunquam
[= Mscr. a. 11: Nr. 210]
immanem istam molem tot odiorum, tot certaminū, tot calumniarū sustinere
tam diu infractus potuisses. Equidem sæpe lacrymans rogavi Patrem nostrū
cælestem (quod etiam nunc ago) ut te isto Spiritu invicto confirmatū di-
utissime servet suæ familiæ fidelem ducem et propugnatorem. Quem qui-
dem ipse Dominus omnium velut quandam Marpesiā rupem suæ virtutis
efficacia fulsit ut stares inconcussus hactenus adversus ferientes sidera fluc-
tus. An, non tibi ego magnarum sum consortis ærumnarū? non interfui
angustijs? non flevi in gemitu vestro? non tristia vidi, et quædam pars ego
fui? Quorsum hæc? nisi ut credas si quid votis et supplicijs proficitur, meum
(quamquam illud quidem ficulnum est) quantulum tamen cunque est præsidiū cū vestris
votis coniunctum esse, Gaudeo autem et mihi gratulor, quod tui de me omi-
nis mitiorem intelligo esse sententiam quam pro mea suspicione. Nam quamvis
conspicari subinde deformiter et amaritie luctatus nuper ægre emersi, tamen hu-
cusque contendi et afflictæ vitæ cursum iudicijs bonorū (tuoque maxime) qua-
cunque ~~fere~~ sinceritate probare possem. Sed hæc alias. Res hic nostra pro-
strata dici non possunt et quæ nondum steterūt. Vix parva quædam hoc an-
no fundamenta iecimus, quæ sane nihil magnificū pollicentur. Nimis suavi-
ter

Marginal note: peracuto

ter hi sibi palpantur qui hisce rationibus se sustentant. Omne opus excellens et quod fol. 40.
sublime futurum est, difficiles aditus habet incrementaque parva. Tale quidem hoc nos-
trum est: igitur sublime futurum est. Mendose facta est Collectio, quale sit illud. In
sanctis vitium est, in me quoque. num nam ego sanctus? Demisse secunda figura ni-
hil ligat affirmando. Res certe ipsa paulatim certiorem facit quantas difficul-
tates induxerim cum ex istis turbis erupi. Sed ego in re parva te magnum Ducem
sequutus omnibus asperitatibus patientiae callum oppono modo mihi liceat fide sal-
va discedere, triumpho. Magnam expectationem sustinemus rei bene gerendae homi-
nes non admodum idonei ad agendum, neque prorsus uno nixu in salo ἄνω καὶ κάτω
τε καὶ ἐνθάδε tumultuarie fluctuantes. Pater Salvatoris nostri per quem ostiata
lucis scintillula caligantibus oculis nostris incurrit, dirigat porro pedes nostros in
viam pacis suae, ne qua foeda claudicatio in perniciem aberret. Amen. Quem-
admodum accipiendum sit illud meum (quatenus) propositiones contra virginitatem
scriptae satis perspicue monstrant. Vale. Duisburgi. Cal. Octob. 1560.

Johannes Molanus.

[Segebado]

D. Segebado ab Huda
preposito Ansgariano
Bremae.

Pax Christi

Nr. 31)

D. Praeposite vir nobilis et venerande. Jam fere annus est quod colligere sar-
cinulas nostras incepimus ex celebri vestra et copiosa urbe Brema emigraturi. Vale- [= Ascr. n. 11;
imus interea mediocriter omnes non sine singulari benignitate et beneficentia Dei Nr. 211]
Patris nostri. Et quamquam res sunt hic pleraeque paulo cariores, curavit tamen Domi-
nus qui pascit nos a iuventute nostra, ne quid nobis deesset earum rerum quae requirun-
tur ad vitam sine sordida parsimonia degendam. Dicam quod res est. respecto
ego Bremam interdum (quam sane nimis invitus reliqui) sed reprimo desiderium
meum: partim quia non longum est quod vivimus, partim[*] quem cuique loci assig- *quia.
nat summus Imperator, eo contentus esse, et eum naviter tueri debet. Proinde
(ut est in veteri proverbio) felix Corinthus: at ego sim Geneates. Siquid
est cuius me pigere debeat, hoc illud est inprimis, quod veterum amicorum con-
suetudine exclusus sum, et praesentis pecuniae magnam iacturam feci, sunt enim
haec duo non vulgaria vitae huius incommoda, pecunia et amici, quibus me
commodis intempestiva emigratio pene nudavit. Sed nos non ad praesentem
vitam referre decet omnes rationes nostras. Videndum quid acceptum sit Domino.
cuius voluntas et beneplacitum debet omnibus commoditatibus praeponderare.
Quinetiam intelligo hac aestate usque adeo isthic turbatum esse, ut dubitari pos-
sit, an si mihi libuisset, licuisset etiam in veteri angulo domatis haerere. Itaque
(quod vulgo dici solet) fugit lupus ante clamorem. Pergit Otho vester diu stu-
dium suum incumbere. Nomina rerum acceptarum et pretia singulatim descrip-
ta transmittit, ut possint data acceptaque inter se conferri. Summa impensarum

in